Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 273
Quelle:
Copyright:

III. *fol.* 187. *Sequitur formacio ſermonum.* Brevis inſtitutio ſacri Oratoris hoc ingreſſu: *Notandum quod octo modis poteſt aliquis habundare in themate et illud predicando dilatare, qui continentur in duobus verſibus:*

Exponas thema, diſtingwe, proba, rationes,
Addas, conuenias, conuertas, proprietates.

Qui modi ſingillatim deinceps exponuntur.

IV. *fol.* 188. *Sequitur nicolaus de lyra ſuper Ewangelium Miſſus eſt angelus.* Aliqua hujus Expoſitionis ex illius *Poſtillis* delibata ſunt, plura ab his abeunt. Memorantur in *Lirani* Ανεκδοτοις *Quodlibeta Theologica*, memorantur et *Sermones de Tempore*, unde aliqua fortaſſis horum Particula ſit.

V. *fol.* 193. *Incipit liber Meditationum Boneventure.* Additur ad calcem: *et intitulatur ymago vite eterne.* Atque ita adpellatur etiam in edit. *Lugd. Opp. omn.* 1668. T. VII. p. 105. f. ubi praeterea etiam *Soliloquium* dicitur, vocandum potius *Dialogus*, quoniam in eo *Anima* et *Homo* ſermonem conſerunt. Initium eſt: *Flecto genua mea ad patrem Domini mei ihesu chriſti* &c. Quae in Editis IV. *Capita*, nobis totidem *Meditationes* ſunt, earumque Contenta ſub finem lucido *Regiſtro* exponuntur. Opuſculum ipſum jam *Vol.* I. P. I. *col.* 322. relatum eſt.

VI. *fol.* 208. *Incipit tractatus Bonus de celebratione ſew ſumpcione Ewkariſtie.* Initium: *Multorum tam clericorum quam laycorum querela eſt non modica* &c. Dialogus inter *Rationem* et *Conſcientiam Vol.* et P. mox *cit. col.* 1088. et alias indicatus autore *Matth. de Cracovia* ſive *Krokow.*

VII. *fol.* 216. p. 2. *Incipit Tractatus de corpore chriſti.* Thema praefixum: *Memoriam fecit mirabilium ſuorum* &c. Pſ. CX. 4. Initium: *In iſto ſermone tres ſunt virtutes principales preclare ex quibus princeps principaliter ſolet laudari ſcilicet potentia clementia et magnificentia* &c. Inſtitutio de S. Coena, in qua vix aliquid deſideres. *Anſelmum* et *Hugonem* citari video, et memorari *Waldenſes*; nihil vero de controverſia duplicis Speciei. Ex illo loco: *beatus franciſcus monuit pre cunctis reuereri ſacerdotes, et attendens ideo ad tantam dignitatem non fuit auſus recipere ſacerdocium;* conjiciat quis, Autorem ad illius familiam pertinere. Extrema ſunt: *cuius felicitatis nos efficiat participes ihesus crucifixus qui in celis viuit et regnat in ſec. ſec. Amen.*

VIII. *fol.* 222. p. 2. *Incipit Liber yſidori venerabilis doctoris de Summo Bono.* Triplex, et in edit. *Pariſ. Jac. du Breul* 1601. f. p. 617. inſcriptus *Sententiarum L.* I. II. III. Titulum illum *de Summo Bono* temere nactus videtur a verbis initii: *Summum bonum Deus eſt.* Saepius a nobis indicatus, in Exemplo praeſente probe inte-